



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Vtrùm vnio sit facta ad existentiam Verbi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

§. Thom.
q. 3. art. 3.

creatio intelligitur simul cum suo termino in eodem statu in quo ipsa: sed creatio in statu extra causas intelligitur in primo omnium signo: ergo & eius terminus, qui est existentia. Maior probatur: tum quia creatio &eductio sunt modi pendentes essentialiter à termino, ita ut nec ratione possint à termino separari: quia nullus modus potest existere, nec concipi, quin concipiatur ut affixus rei cuius est modus: tum etiam, quia creatio in primo signo concipitur ut denominans Deum creatorem, & terminum creatum: ergo in illo primo signo concipitur Deus dans existentiam termino, & terminus illam accipiens. Antecedens negari non potest: quia forma non potest concipi cum principis aptis ad denominationem, quin illa denominet, si habeat omnia necessaria. Consequentia probatur: quia creare est facere ex nihilo: sed facere est dare existentiam: ergo pro illo priori intelligitur Deus dans existentiam. item creati est fieri: hoc autem est accipere existentiam: ergo.

§. 59. Huic tam apertæ rationi videamus quid respondeatur? Alvarez disp. 14. & 30. respondet creationem in fieri esse priorem assumptione; at in facto esse assumptionem esse priorem: itaque anima fit prius quam uniat, & non est facta nec creata prius, quam assumpta, sed posterius. quod mutuatus est ex Cabrera q. 2. art. 11. disp. 2. §. 40.

§. 60. Hæc responsio potest accipi dupliciter: Primum, pro fieri accipi creationem, & existentiam animi iam actualem actualitate sibi essentiali, cuius memini §. 45. at pro facto esse accipitur existentia, quæ est ultima actualitas. In quo sensu nunc non disputo: ego enim tantum volo creationem, eiusque terminum simul esse ratione, & priores quam subsistentia: illa autem alia existentia est conficta: quam iam dixi §. 39. & 40. esse accidens posterius supposito in ea sententia.

§. 61. Secundò, potest accipi fieri, & factum esse pro actione ipsa & termino immediato, qui est existentia, reiecta aliâ actualitate essentiali, ut ex Cabrera retuli §. 46. In quo sensu non satis miror responsionem hanc. Quia fieri propriè acceptum est actio, qua res fit: ob quod terminus dicitur calor in fieri, v.g. homo in fieri, id est, dum est primum cum actione: calor autem in facto esse, & homo in facto esse, est ipsemet calor, & homo: qui facti dicuntur.

§. 62. Hinc arguo: Terminus in fieri est formaliter actio terminata ad illum: terminus in facto esse est res ipsa terminans actionem: sed actio & terminus sunt simul ratione, ut ostendi §. 57. & 58. ergo actio & terminus in fieri sunt simul ratione, ac in facto esse.

§. 63. Fortè creationem, & terminum in fieri accipiunt hi auctores pro iisdem omnino rebus in diversis signis aut statibus: quia res facta, & eius factio accipiuntur in fieri prius ratione, quam ipsa in facto esse: ut de motu successivo frequenter dicitur, eum non fieri simul, & factum esse. quod indicare videntur §. 59.

§. 64. Contrà: In actionibus momentaneis non ita distinguuntur fieri, & factum esse; quia subito & momento fiunt, factaque sunt: quia rem fieri, & non esse factam in successivo bene componimus; eum motus nondum sit factus totus: dum enim successivè fit, facta vna parte superest alia facienda: ob quod terminatur instanti extrinseco, quo verè dicitur, *Nunc non est motus, sed immediatè antè fuit:*

est terminus in facto esse: quia totus est factus: at productio subita est tota simul, nec facta vna parte superest alia facienda, sed terminatur intrinseco instanti, quo dicitur verè, *Nunc est creatio, & immediatè antè non fuit:* ergo in creatione animi rationalis simul sunt fieri & factum esse.

§. 65. Dicunt esse aliquam prioritatem rationis inter fieri, & factum esse: quia concipiuntur more successivi motus. Contrà: Includunt modos contradictorios mutatio instantanea & successiva; quo pacto vnam concipimus more alterius: Deinde sit aliqua ista prioritas: at cur inter illos duos conceptus sola ratione distinctos interijcitur alius realiter distinctus: nempe suppositum. Hi auctores solis verbis inexplicabilibus, nullum nucleum habentibus argumenta deludunt, nec possunt explicare quid dicant.

§. 66. Secundum argumentum ad probandum productionem existentia esse priorem subsistentia productione, est: quia subsistentia frequenter appellatur modus existentia: ut inherentia est modus existentia rei pendens à subiecto, ita subsistentia est modus rei independentis. item si non sit res ipsa modus, est tamen complementum existentia.

SECTIO IV.

Vtrum unio sit facta ad existentiam Verbi?

SVBSECTIO I.

Opinionis Thomistica prima pars.

§. 67. **P**rima sententia fert humanitatem Christi unitam immediatè & formaliter existentia Verbi, ita ut per illam existat: quemadmodum ipsi censent materiam primam existere per existentiam formæ, & non per aliam propriam. Item docent hanc existentiam Verbi esse communem toti Trinitati; ubi non agnoscunt tres existentias relativas, ut fides docet tres subsistentias, aut supposita. Tertio, docent unionem ad existentiam factam esse secundariò; primariò verò ad hypostasim, in quo à Durando discedunt constituente unionem ad naturam Dei priorem, quam ad subsistentiam. Huius sententia primus auctor videtur esse Capreolus in 3. d. 1. q. unica art. 3. longè antè finem: pro qua solent afferri Caiet. Ferrar. Medin. & Bañes: quos sequuntur recentes Alvarez disp. 14. n. 15. Cabrera in q. 3. art. 2. disp. unica n. 9. & alibi.

§. 68. Prima huius sententia probatio, & pars est: id non implicat: ergo factum est. Consequentia licet non est formalis, est tamen efficax. Antecedens probatur: existentia non est essentialis humanitati, sed extra illam, ut subsistentia: ergo potest suppleri per existentiam Verbi, sicut subsistentia.

§. 69. Primum, consequentia nec est formalis, nec catholica: admittit enim possibilitate factum esse contra sacras Litteras; si accipiatur de existentia absoluta, probabo à §. 87.

§. 70. Secundò, nego antecedens. Ad probationem, respondeo existentiam esse rationem, sub qua producitur essentia, & est terminus actionis creatæ:

creata: essentia enim creantur vt quod; existentia verò vt quo: & vt vnaquaque creatura propriam terminat productionem vt quo. Ad secundam, nego paritatem: quia subsistentia non est ratio terminandi productionem essentia, sed illam complendi. Hæc responsio supponit essentiam ab existentia distingui disputandi gratia.

§. 71. Objicis, hæc esse vera in sententia Cabrera non admittente actualitatem aliquam esse terminum creationis, nisi sub existentia; non tamen in sententia Aluarez oppositam admittentis. Respondeo Aluarezanum esse satis confutatam aperte. Adhuc & in presenti in pugnat: quia in ea sententia existentia est accidens physicum, quod vni non potest Verbo, vt ex S. Thomâ monstrabo disp. 43. §. 16. Ob quod vel dicendum est in humanitate retentam existentiam propriam, vt vbi & durationem propriam; vel mansisse sine existentia vlla. quod in ea opinione non magis, sed minus repugnat quam sine subsistentia, cum sit complementum minime essentiale, & posterius natura quam subsistentia.

SVBSECTIO II.

Opinionis Thomisticae secunda pars.

§. 72. **S**ecunda pars & probatio sententia Thomisticae est, de facto humanitatem vnitam immediatè & formaliter existentia Verbi: quam dicunt esse absolutam. Mouentur auctoritate S. Thomæ q. 17. art. 2. Miror homines potuisse talem sententiam imponere S. Thomæ, loquenti tum de esse subsistentia, tum de esse essentiali completo; de existentia verò, de eius vnitate, aut dualitate nec per somnium cogitanti. Ostendi vol. 1. disp. 8. Metaphyl. §. 39. & 45. à S. Thomâ non distingui realiter essentiam ab existentia: quando autem esse distinguit ab eo quod est, esse accipit pro subsistentia, vt ibidem ostendi §. 57. In quo sensu eum egisse q. 17. art. 2. constat ex eius verbis. quod probabo disp. 73.

§. 73. Tertio probant ex epist. Sophronij in Concilio VI. generali art. 11. & 13. *In ipso, & non in se habuit existentiam vniam.* Quibus Concilium probat humanitatem numquam extitisse separatam à Verbo: quia numquam habuit existentiam nisi Verbi, alioquin extitisset in se. Confirmatur Primò: existere in aliquo est existere per eius existentiam, seu dependere ab illo: ita existunt accidentia in subiecto, quia dependent ab existentia subiecti: ergo cum ex Sophronio humanitas non existat in se, sed in Verbo, existit immediatè per existentiam Verbi. quod argumentum mutuari sunt ex Medina q. 17. art. 2. concl. 3. Did. Aluarez, & Petr. Cabrera, vt & alia plurima.

§. 74. Respondeo, Sophronium nec per somnium cogitasse ea de re, nec sui intererat. Profiteretur enim fidem Catholicam de Trinitate, de Incarnatione nec vbi ues confutat errores. Primum Pauli Samosatani atque Nestorij constituentium humanitatem Christi non extitisse vnâ cum Verbi vnione; sed prius tempore separatam. Secundum

eiusdem Nestorij negantis Deum verè incarnatum, & vnitum personæ Christi: & Marianam materitatem Dei. Tertium Eutychetis compingentis naturam vnâ ex diuinitate & humanitate. Primum errorem confutat verbis adductis §. 73. Vbi existentiam vnâ accipit non pro vna formali ratione existendi: ita vt non sint existentia duæ; sed vnâ accipit more aduerbij, id est vnâ, hispanè *juntamente à vna: simul*, existit simul cum Verbo, & non duobus modis, altero separata à Verbo, altero vnita: ergo vnitas excludit prioritatem temporis, & vult numquam extitisse humanitatem nisi vnitam Verbo: de existentia autem vnitatem in nostro sensu non potuit tunc cogitare. Lege totum testimonium: *Incarnatur ergo Verbum Deus, quod nostrum est, non prefacta carni copulatus, preformatoe atque in se se preexistenti aliquando corpori conlinitus; vel anima preexistenti coniunctus; sed tunc is ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum, & Deus, naturaliter copulatus est, contemporalem habens vnitionem atque subsistentiam: & non ante verisimum ipsius Verbi conuentum in seipsis vnquam extiterunt; sed cum Verbi ipsius naturali conuentu subsistentiam habitura concurrerunt, & nec quem in ictu oculi, quam illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrept atque Nestorius: simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis. in illo itaque, & non in semetipsa habuit existentiam vnâ, cum conceptu quippe Verbi hæc ad subsistendum probata sunt, &c.* Hæc Sophronius, considera quam abs re adducatur.

§. 75. Ad confirmationem ex §. 73. multa dicuntur improbabilia. Anima existit in corpore, & non per existentiam corporis; sed per suam, nec à corpore pendet. item in eorum sententia materia existit per formam existentiam, nec tamen in forma; sed forma in materia: hypostasis Dei existit in humanitate, nec per eius existentiam. Esse in alio capitur multipliciter: primùm quodupliciter accipitur subiectum; accipitur esse in alio: quæ enim sunt forma, aut illam imitantur, dicuntur esse in subiecto, vel in imitante subiectum. ita Verbum est in humanitate: quia hæc est subiectum vnionis, & accipit denominationem subsistentis à Verbo: & humanitas est in Verbo, vt in subiecto denominationis: est enim homo ab humanitate. quæ significatio nostra interest: est ergo humanitas in Verbo, & numquã fuit in se: quia semper fuit vnita Verbo: cum dependentia à posteriori, vt à terminante; & numquam fuit in se, id est, nec sine subsistentia, nec in alio supposito; sed semper cum Verbo. Quod assertur *in se esse*, quod habet existentiam propriam; Primùm est falsum vniuersim acceptum: quia forma equi habet existentiam propriam, & non est in se, sed in corpore. Secundò est vox æquiuoca: *in se*, id est verè, & secundùm proprium conceptum. quo pacto omnia, quæ sunt, sunt *in se*. item *in se*, id est, sine dependentia à subiecto: sunt *in se* omnes substantia subsistentes, *in se*, id est, non inherenter: sic existunt omnia, quæ non sunt accidens, *in se*, id est, separata ab alijs: ita existunt tam animæ separata, quam omnia individua substantia completa. In quo sensu dixit Sophronius humanitatem nec ictu oculi fuisse *in se*. Hæc tam clara tam latè propono, vt ostendam quàm infirmis argumentis inductæ sint hæc sententia.

§. 76. Quarto arguunt: Vnio humanitatis ad

S. Thom.
q. 3. art. 3.

Verbum non est accidentalis, sed verè substantialis: ergo in persona Christi non sunt duo esse, sed vnum. Probant consequentiam: quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, sed per accidens. quo argumento dicunt probari à S. Thoma qn. 17. art. in Christo non esse duo esse, sed vnum.

§. 77. Respondéo in sententia constituente duas actualitates in rebus creatis; alteram essentia; educte ex causis, alteram existentia; non posse dici existentiam esse substantialem, sed accidentalem: vt dicunt Thomistæ plerique. At in sententia negante duas actualitates, & admittente vnam existentia; per quam essentia est in actu, existentia substantia est substantialis. Hinc nego consequentiam. Ad probationem, constat ex vol. 1. disp. 2. Physic. §. 57. non posse fieri vnum per se nisi ex duobus entibus in actu: & vt fit ex duabus essentia; partialibus, ita & ex duabus existentia; & ex duabus subsistentia; in compositis physicis. Ex duobus entibus in actu completo non fit vnum per se; quia quod illis aduenit est accidens: secus ex duobus entibus creatis incompletis, & in Christo composito ex vno ente completo, & altero incompleto: reliquum autem, quod illis vnitis aduenit, est accidens. S. Thomas admittit duas actualitates, alteram incompleta creatam, vt quo; alteram increata. harum dualitatem non negat, sed dualitatem suppositorum: si enim essent duo supposita, alterum creatum, & alterum increatum, esset Christus vnum per accidens, vt dixit Nestorius, duæque personæ, & non vna. in hoc sensu est vera sententia S. Thomæ: in altero esset non solum falsa, sed parum probata.

§. 78. Vrgent: Ergo in Christo non esset vnum esse absolute, sed simpliciter duo esse contra Athanasium, vnus est Christus. Totum argumentum est æquiuocatio: esse existentia; est triplex in Christo, increatum, spirituale animi, & materiale corporis: item & esse vnionis: hæc enim sunt simpliciter vnum esse, sed plura partialia creata, at increatum non est propriè partiale, sed impropriè. Hæc constituunt vnum esse personæ cum vna personalitate: quæ est vnus Christus, vnus per vnitatem suppositi, & dualitatem naturarum: est ergo vnum esse personale, & vnus Christus completus; compositum autem includit plures existentias componentes.

§. 79. Quintò arguunt: Maria non esset verè mater Dei: ergo. Probant antecedens: quia prius existeret humanitas, quàm esset vnita Verbo. Nego antecedens: quia Virgo attigit vnionem corporis & animi vnitorum prius natura: à qua vnione homo generari dicitur verè ab alio. Recognosce §. 19. 20. & 21. Alia argumenta prætereo non ab similia.

SVBSECTIO III.

Vnio non est facta ad existentiam.

§. 80. **V**Nionem humanitatis non esse factam ad existentiam Verbi, est frequentissima sententia apud omnes Doctores: Scorus cum sua schola non distinguit realiter essentiam creatam ab existentia: nec Nominales. apud quas duas scholas in Christo sunt duæ existentia; Durandus verò existentiam propriam admittit in humanitate, vnionem autem ad naturam vt est subsistens: &

quemadmodum hac vnione non ademit naturarum dualitatem; ita nec existentiarum. S. Thomas numquam distinxit essentiam ab existentia, & qu. 17. art. 2. admittit in natura esse quo est persona humana. Palud. in 3. dist. 9. q. 3. explicat hoc modo S. Thomam. Nullum caput alicuius scholæ ab ea est opinione, sed pauci Thomistæ sine villo philosophico, aut Theologico fundamento; quos recognosce apud P. Valentiam disp. 1. q. 17. punct. vnico ver. lam verò. Eam sententiam cum censura morder Petr. Lorca disp. 24. num. 7. quam deseruerat Heruæus in 3. d. 9. q. 1. art. 3. Nostri hanc propugnant agmine denso, P. Valent. vbi nunc. ver. *Atque hæc*: Bellarm. tom. 1. lib. 3. de Incarnat. c. 10. vbi in Christo omnia admittit duplicia præter solam subsistentiam: P. Suarez disp. 12. sect. 2. ver. *Dico secundo*, & disp. 36. sect. 1. P. Vasquez disp. 26. cap. 1. P. Ragusa disp. 27. §. 2. P. Albertin. to. 1. corollar. 10. ad prædicamentum substantia; n. 8. & quod caput est, S. Bonauent. in 3. d. 5. art. 2. qu. 1. ad argumenta, cum infinitis alijs.

SVBSECTIO IV.

Probatio philosophica.

§. 81. **P**rimum argumentum satis euidens est: quia essentia & existentia non distinguuntur realiter: sed in Christo sunt duæ essentia;, altera increata, creata altera: ergo sunt duæ existentia;, altera creata, & increata altera. Maiorem euidenter probauit vol. 1. disp. 8. *Metaph. sect. 4.* auctoritate & ratione S. Thomæ: quæ aded sunt euidentes, vt frangerint animum Petri Lorca; vix vnquam tracti ad nostras opiniones. de qua identitate etiam rationis inter essentiam diuinam & existentiam, egi disp. 16. à §. 5.

§. 82. Secundum argumentum est admissa distinctione reali inter essentiam creatam & existentiam. Quia productio rei producit etiam existentiam eiusdem: sed humanitas est producta: ergo eadem actione producit existentia humanitatis: sed non producit existentia increata per actionem creatam: ergo. Maiorem propositionem probauit vol. 1. disp. 2. Physic. à §. 64.

§. 83. Confirmatur. Productio humanitatis Christi habet terminum productum; non essentiam secundum se: quæ non est producibilis nisi secundum existentiam, non existentiam Dei, vt constat; non essentiam vnionis secundum se, vt dixi de essentia: ergo habet pro termino productio existentiam creatam. Probo consequentiam: quia ratione existentia; habet essentiam produci; existentia vt quo; essentia verò vt quod: quia ratio formalis existendi extra causas, & terminandi actu productionem, debet esse aliquid distinctum realiter ab essentia secundum se; vt ponit hæc opinio.

§. 84. Dices Primò, terminum formalem esse vnionis existentiam. Contrà: Vnio est terminus alius actionis specie distincta: quia anima creatur; vnio verò educitur: ergo. Secundò: ergo in Christo sunt duæ existentia;, altera increata; altera creata: ergo est duplex esse; & omnia deducam, quæ tu censas absurda. Nec humanitas existit per existentiam Verbi, sed per existentiam vnionis terminatam ad subsistentiam. quo argumento yfus fui disp. 2. Physic. §. 68.

§. 85. Dices Secundò, humanitatem & vnionem habere suas actualitates quasi essentiales, quæ sunt ratio formalis terminandi suas productiones; præter quas actualitates, ponitur alia existentia, quæ est complementum illarum. Contrà: Tam ostendi §. 74. eas actualitates esse existentias: quia omnia argumenta probantia distinctionem essentia ab existentia habent contra eas vim eandem: alia autem actualitas non est necessaria, & impediri possit diuinitus, vt ostendi §. 71.

§. 86. Hinc deduces, quamuis in rebus creatis possit vna res existere per alienam existentiam, non tamen in hoc mysterio: quia existentia possit produci eadem actione, qua essentia: at humanitas non potest eadem, qua existentia increata: quia hæc vt absoluta non producit, vt relativa autem non producit creatione: ergo. Ob quod nisi humanitati detur existentia creata, non potest terminare productionem: quia essentia maneret eodem modo; nempe secundum se: quia sine actualitate vnio maneret eodem modo; existentia verò Dei, vt est ab æterno: ergo productio nihil haberet noui pro termino producto: cuius ergo rei esset productio? Confirmatur, quia humanitas pendet à Deo: ergo habet propriam existentiam, per quã pendeat vt quo.

SUBSECTIO V.

Probatio Theologica ex Concilio VI. generali.

§. 87. Theologicè autem probari potest eadem sententia: Primum, auctoritate Agathonis tom. 3. Concil. in VI. Synodo generali act. 4. Vbi Pontifex in Christo admittit duplicata omnia quæ pertinent ad naturas, exceptâ personalitate, in qua facta est vnio: admittit ergo duas naturas, duas potentias intellectus & voluntatis, duas operationes. denique in humanitate recognoscit omnia ad illam naturaliter pertinentia præter hypostasim propriam. Verba autem Agathonis sunt hæc: *Et vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere consistemus, & habere diuinam omnia, que diuina sunt; & humanã omnia, que humana sunt, absq; vilo peccato.* & infra: *Nec tamquam separatas in duabus personis, vel subsistentiis.* Ex quibus liquet, solam negari subsistentiarum dualitatem, & peccatum; cætera verò retineri in vnaquaque natura. Quapropter bonus Conciliorum Scholiastes Bellarm. adductus §. 80. intulit rectè omnia esse in Christo duplicia præter subsistentias: sed existentia humana est proprietaz humanitatis Christi; sicut est vbiatio humana, voluntas humana, & operatio humana: & nec est peccatum, nec subsistentia: ergo retinetur in Christo. Idem constat ex eadem Synodo VI. generali act. 11. in epistola Sophronij, agentis de Incarnatione, & probantis contra Eutychem omnia pertinentia ad naturam, esse duplicata in Christo; & contra Nestorium subsistentiam esse vnam, & non duas: ergo existentia duæ sunt: quia non pertinent formaliter ad personalitatem, in qua sola est singularitas. Idem constat ex Concilio Chalcedon. act. 5.

§. 88. Obijcies, omnia retineri quæ humana sunt, nisi ob sint vnioni substantiali facienti vnum per se: obest autem existentia: quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se. Contrà: Retinenda in primis est definitio Agathonis, & Concilij generalis subscribentis Agathonis; nempe à natura humana

in Christo secernenda duo dumtaxat eorum quæ humana sunt. Primum est peccatum, & quod per se ad illud inclinat; quales sunt habitus vitiosi, & error intellectus: hæc enim reducuntur ad peccatum; & quia non sunt perfectio, sed imperfectio; vt remouenda sunt corporis vitia, vt gibbositas, lippitudo, & alia. Agatho enim loquitur de perfectione & ornatu humana nature, non verò de imperfectioe & vitio: peccatum autem excludit expressè, quia ita oportuit ad Christi commendationem. Deinde secernitur subsistentia propria: cætera autem humana retinentur illis verbis, *humana omnia.* Retentâ hac definitione, cætera componenda sunt ex præceptis philosophiæ; non verò præcepta philosophiæ ex definitione.

§. 89. Alioquin dicer Monothelita, Omnia humana sunt in Christo præter operationem voluntatis: quia secernenda sunt, quæ possunt efficere oppositionem in volendo. Vt ergo Monothelita quærere tenetur rationem componendi concordiam voluntatum, & stare definitioni Ecclesiæ: ita ceteri tenentur quærere rationem componendi vnitatem per se cum dualitate existentiarum. Ne dicat Vbiuctarius omnia esse in Christo præter vbi creatum: quia humanitas debet esse vbi que cum Verbo, ne alicubi sit ab ipso seiuncta. quærere ergo temerum rationem componendi vbi propria sine separatione humanitatis à Verbo.

§. 90. Si ergo ex ipsorum sententia philosophica non possunt componi duæ existentia cum vnitatem Christi, mutant sententiam de distinctione reali essentia creata ab existentia: vel dicant ex duobus entibus in actu completo non fieri vnum per se; secus ex altero incompleto: hoc autem facillimè dicent, vt nos, quin vilo, vel probabili premantur argumento. & quidem existentia in illorum opinione non pertinet ad conceptum quidditatum humanitatis, nec ad conceptum hominis; qui solùm includit naturam, & suppositum: ponant naturam vnitam supposito, ex quibus resultat vnum per se; existentiam autem nature humanæ ne vniat Verbo: non enim est opus, siue existentia sit substantia, siue accidens: etenim Verbo vniat anima, item & corpus: hæc duo vniuntur inter se immediate, quin ea vnio vniatur immediate Verbo. item accidentalis voluntas, & intellectio animæ Christi vniuntur animo; non tamen immediate Verbo: quæ non impediunt vnum per se ex humanitate, & Verbo. Ratio à priori: quia vnum per se resultat ex extremis immediate vnitatis: quæ verò vniuntur mediatè, non pertinent ad illam vnitatem, quæ resultat ex vnione immediata: ergo eadem ratione licet humanitas habeat propriam existentiam, non impedit vnitatem per se: quia existentia nec pertinet ad vnitatem nature humanæ, nec Christi; nec opus est illam vnitati immediate Verbo. quæ sunt & per se facillima, & nota.

§. 91. Cabrera in q. 17. a. 2. disp. 1. n. 2. proposuit hoc argumentum contra se ijs verbis: Ex Concilij constat Christum assumpsisse omnem perfectionem humanitatis, & integritatem præter subsistentiam: sed existentia est integritas, & complementum nature humanæ distinctum à subsistentia: ergo. At n. 88. responder negatâ Minori: quia existentia non pertinet intrinsecè ad perfectionem nature humanæ; sed est conditio, vt sit terminus creationis.

s. Thom.
q. 3. a. 3.

§. 92. Non ita legantur testimonia, quæ dicunt, omnia præter peccatum, & subsistentiam: excludit ergo monstra, non tamen cætera, quæ de se bona sunt sine vitio, vt existentia, vbicatio, facultas famescendi, & alia. cum ergo existentia non minus pertineat ad omnia præter peccatum & subsistentiam, quam pertinent vbi, & operatio; vt hæc retinenda sunt ex Concilio, ita existentia.

§. 93. Deinde, existentiam non esse de integritate & complemento naturæ, non consonat ijs quæ ipsi dicunt existentiam esse actum vltimum & vltimum complementum naturæ, & esse tantæ perfectionis identificari cum illo, vt id in solo Deo reperitur: nec cum philosophia: quia existentia est actualitas melior quam vbicatio, & quam albedo: estque complementum ex ipsis Thomistis: at omnis actus est perfectio eius subiecti, cuius est actus. Non esse complementum essenziale, non refert: namque operatio & vbicatio non sunt tale complementum, sed extra essenziale; & tamen sunt perfectio humanitatis. Vide quid de hac perfectione dicat Cabrera in q. 17. a. 2. disp. 1. n. 100. vide item infra in hac disp. §. 119.

S. V. B. S. E. C. T. I. O. VI.

Secunda probatio ex Concilio Toletano.

§. 94. Secundum argumentum Theologicum est ex auctoritate Concilij Toletani XI. in confessione fidei: agens enim de eo, ad quod facta est unio, ait: *In id, quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati.* item in Concilio Toletano VI. adducto disp. 33. §. 16. Vnde arguo, Existentia absoluta non est propria Verbi, sed communis Trinitati: at ex Concilio facta est unio ad id quod proprium est Verbi, non ad commune Trinitati: ergo ea unio facta est non ad existentiam communem, sed ad proprietatem Verbi.

§. 95. Huic argumento non potest facile responderi, nisi dicamus in Verbo esse duas existentias ratione nostra & virtualiter distinctas; alteram communem toti Trinitati, alteram propriam subsistentiæ: cum enim ego disputarem de Trinitate, admisi in Deo tres existentias relatiuas inter se oppositas, & distinctas realiter; & aliam absolutam distinctam ab illis sola ratione & virtualiter: dicere ergo possunt aduersarij, in humanitate nullam esse creatam existentiam, sed vnionem humanitatis esse tum ad Verbum, vt est hypostasis, tum vt est existentia etiam relatiua. Vnde respondetur Concilio Toletano, vnionem factam in sola proprietate relatiua, sine existentia creata: quia per hypostasim humanitas subsistit & existit.

§. 96. Fateor huic absurdo Theologico, & sequenti iri obuiam hac doctrina: nec sequi vnionem ad absolutum, nec Incarnationem Trinitatis: at nec ad hominem hæc componi possunt, nec absolute satis bene. Primum, quia aduersarij negant existentiam propriam singulis personis, nec admittunt nisi communem. Secundum verò, quia ipsi & in rebus creatis realiter distinguunt essentiam ab existentia; in diuinis verò ratione: & vt ab omnipotentia est Filius omnipotens, ita ab existentia communi existens. at vt cumque possent reddere discrimen; cur in Deo nec ratione distinguantur essentia, & existentia; licet in creatis distinguan-

tur realiter: quia ratio potentialitatis, & indifferentia ad esse, & non esse, causat eam distinctionem: in Deo autem est summa actualitas in omni conceptu diuino, & essentialis repugnantia ad potentialitatem. ob quod non est fundamentum ad concipiendum prædicatum vllum nisi vt per se ens à se, & summe actuale. Videamus quid ipsi respondeant ad hoc testimonium ex Concilij Toletanis.

§. 97. Responderi potest ex Medina in q. 17. ar. 2. conclus. 3. asserente existentiam esse proprietatem conuenientem personæ per se primò, & naturæ ratione personæ: ergo unio facta in existentia est facta in relatione, & in eo quod proprium est, & non commune. Contrà: Etiam posset dici omnipotentiam per se primò conuenire personæ; naturæ verò ratione personæ: quia illi conuenit omnipotentia, cui conuenit operari: at operari conuenit personæ vt quod & completè, id est, toti constituto ex naturæ & personalitate: vt quo autem conuenit vtrique habenti propriam existentiam; si verò non habeant, conuenit naturæ: illa enim est per suum conceptum ens à se, & actualitas per essentiam: quæ idem est ratione cum existentia; vel saltem ratione nostra existentia concipitur fluere ab illa actualitate.

§. 98. Secundò arguo: Esto existentia per se primò conueniat personæ: at certè non conuenit naturæ diuinæ ratione vnus personæ dumtaxat, sed ratione omnium: vel si quis ordo rationis esset fingendus, conueniret ratione paternitatis prioris origine relatione. item existentia est per te absoluta & absolute communis Trinitati, estque prædicatum naturæ: ergo vt existentia est communis, unio facta ad illam facta est ad commune: ergo non in eo solum, quod proprium est, vt vtrum autem inde sequatur Incarnationem Trinitatis, disquiram paulò post.

§. 99. Iam dixi disp. 33. §. 27. censerì à Soto & Victoria, vnionem factam in absoluto non absolute considerato, sed vt modificato filiatione: vnde posset dici vnionem factam ad existentiam communem materialiter; non verò vt communem formaliter: quia facta est ad existentiam prout in Filio. ita respondet Cabrera in q. 17. a. 2. disp. 1. n. 99. Quia natura diuina habet diuersos modos existendi: in Patre vt fecundans, in Filio vt terminus, &c. Contrà Primò: Etiam posset dici unio facta in natura prout in Filio, & ex humana & diuina, prout in Filio facta vnica natura: sicut vna persona facta ex vnione naturarum ad subsistentiam Filij vt Filij: quia illa reduplicatio non admittit vnionem immediatam ad naturam, sicut nec ad existentiam.

§. 100. Secundò, existentia vt in Filio habet aliqua prædicata propria Filij, vt esse terminum communicatum generatione, constituere Filium: item & aliquod commune Patri, vt fecundare ad spirandum, sub quo conceptu connotat relationem Filij, sine qua nequit concipi vt terminus communicatus, nec vt constituens Filium, nec spiratum cum Patre: at sub conceptu existendi non magis connotat Filium, quam sub conceptu deitatis, omnipotentia, & sapientia: vt enim terminus communicatus petit terminum productum, ratione cuius constituatur persona producta vt quod: & fecunditas petit relationem productiuam quo, vt

con-

constituatur spiratum quod: ita existens nihil connotat in ordine ad aliud magis quam Deus, omnipotens & sapiens: ergo vnio facta ad existentem vt existentem, non est facta materialiter, sed formaliter ad existentem, vt non connotat aliud, cum quo sit existens ad aliud. dum ergo non attingitur prædicatum pertinens ad oppositionem, non attingitur natura, vt in Filio formaliter, sed formaliter secundum se. si vniretur naturæ, vt ad spirationem fecundanti, vel vt constituenti terminum productum; valeret responsum: at non attingitur existentia nisi vt existentia: quæ apud hos auctores non fecundat, nec in conceptu existentia connotatur fecunditas magis, quam in ratione omnipotentia.

§. 101. Obiicies, requiri vnionem humanitatis etiam ad filiationem. Contrà: Etiam Durandus eam requirit, & damnatur erroris.

§. 102. Obiicies iterum, vnionem fieri ad existentiam vt constituit terminum generationis. Contrà: Sub conceptu existentia per te natura non est fecunda: sed sub conceptu essentia, quam ratione ab existentia distinguis: ergo nec existentia est terminus; sed essentia, ad quam communicanda est generatio: est autem existentia actualitas ratione nostra secuta essentiam.

§. 103. Deinde non est cur vnio facta sit ad existentiam vt constituit terminum: quia existere est secundum se iam absolutum, quam posse, sapere, velle, & esse in loco: ergo vnio ad existere non connotat rationem termini. Vt autem pateat: considera vniri in ratione termini esse vniri ad constituendum terminum, siue ad terminum formaliter; sicut vniri in ratione fecunditatis est vniri ad fecundandum, siue ad fecunditatem formaliter: sic natura vnitur filiationi ad terminandam generationem, & paternitati ad generandum, id est, vt Pater generet, & Filius terminet generationem. quæ verò ita non seruiunt generationi aut terminationi, non vnuntur vt fecunditas, & ratio terminandi: ob quod natura prout in Spiritu sancto, nec est vt fecunda, nec vt constituens terminum generationis; existere autem, sapere, velle, & posse non sunt ad hæc constituenda: ob quod sunt communia toti Trinitati; nec propria vlli personæ: ergo non fit vnio ad existentiam prout in Verbo, sed secundum se. Probo consequentiam: quia non fit vnio ad prædicatum vllum existentia connotans Filium magis quam alias personas: quia in ratione existendi nulla connotatur priuatiu: quia existere nec constituit personam producentem, nec productam priuatiu: quia in improducta, & producta, & non producente reperitur. quod est efficax argumentum ad confirmandam hanc doctrinam; & Soticam, de qua egi disp. 33. à §. 27. vt ibidem obseruo §. 29.

§. 104. Tandem obiicies: Humanitas vnitur relationi vt est relatio; & tamen non est ad referendam humanitatem ad Patrem: ergo non est opus, vt vnatur existentia in ordine ad prædicatum referens humanitatem ad Deum. Respondeo, à me non impugari eam doctrinam; quod existentia Dei non fit ad referendam humanitatem ad Deum: sed quia non vnitur existentia Verbi, vt existentia cum filiatione constituat prædicatum relatiuum Verbi ad aliquam personam diuinam; sed existen-

tia, vt cum omnibus personis constituit existere. *S. Thom.* Quod conuenit tam Patri improducto, & producto, quam Spiritui sancto producto, & improducto; & Filio producenti, atque producto: nec modi relationum constituunt diuersitatem in prædicato existentis magis quam in omnipotentis, & immensi, & Dei: at illud constituit in ratione generatiui, spiratiui, ingeni, geniti, & spirati: ob quod non vnitur humanitas existentia, vt connotanti personam aliquam priuatiu: filiatio autem, vt filiatio, est priuata Filij, & non aliarum personarum: ob quod vnio facta ad filiationem, facta est in eo quod singulare est, non in communi: quia esse Filium singulare est; at esse existentem commune est. Propterea dixi §. 103. vniri naturæ vt fecundæ, esse illi vniri ad fecundandum, vel vt fecunditas est formaliter: ita humanitas vnitur generationi passiuæ formaliter, non vt constituat genitum, sed vt est generatio passiuæ; quia illi vnitur, vt est proprietas Verbi.

§. 105. Ad argumentum ex §. 99. respondeo naturam habere in personis diuersos modos existendi in ordine ad aliqua prædicata relatiua, nempe fecunditatis, & terminationis productionis: at non in ordine ad prædicata non relatiua, quale est existere. Ob primum est in Patre fecunditas ad generandum, & non in alijs personis; in Filio autem est ratio terminandi generationem, vt terminus communicatus; & non in alijs. in Patre item & Filio solis est fecunditas ad spirandum; & in sola tertia persona constituit terminum spiratum. At ob secundum in ratione existentis nihil habet in vna persona, quin & in alijs; vt nec in ratione Dei, potentis, & scientis. ob quod ad hæc prædicata non potest fieri vnio ad existentiam vt priuatiu conuenienter vni personæ, sed vt communiter omnibus. Vnde liquet vnionem factam fuisse in communi, & non in singulari solum contra Concilium Toletanum, si facta fuit in existentia absoluta distincta virtualiter ab existentia aut entitate relatiua.

SVBSECTIO VII.

Vltima probatio ab absurdo.

§. 106. Tandem probo, non potuisse vnionem fieri ad existentiam communem, quin tota Trinitas fuerit incarnata. Quia quod conuenit alicui personæ diuinæ ratione alicuius prædicati communis non constituitis oppositionem relatiuam, conuenit toti Trinitati: sed terminare humanitatem conueniret Verbo ratione existentia communis non constitutis prædicatum relatiuum: quia *existere* est absolutum; sicut *posse* & *scire*: ergo prædicatum conueniens Verbo ratione existentia conuenit toti Trinitati. Recognosce disp. 33. §. 21.

§. 107. Responderi potest Primò, existentia vt in Verbo factam vnionem; non verò absolute, quam doctrinam impugnaui à §. 100. ad 105. vnde cum *existere* non includat connotationem ad prædicatum priuatiu, & oppositum, quidquid conuenit Verbo ratione *existere*, conuenit toti Trinitati: vt omnipotentia, & alia: vt dixi disp. 33. à §. 21. item 29.

§. 108. Alia ratione conantur Thomistæ decli-

nare

S. Thom.
2.3.4.3.

nare impetum argumenti: dicunt vnionem factam ad absolutum secundariò; non verò per se primò: ob quod ceteræ personæ non sunt incarnatæ: quia denominatio sumitur à termino formali & primario, non verò secundario, vt scientiæ sortiuntur denominationem ab obiecto formali primario, non verò secundario & materiali. Argumentum autem propositum §. 106. vim habere contra Durandum constituentem duas vniones: alteram primariò terminatam ad naturam; alteram secundariò ad hypostasim: ipsi verò è contrà primam constituunt ad hypostasim, secundam verò ad existentiam.

§. 109. Contrà: Fugiantur vocum æquiuocationes. Denominatio potest accipi *formaliter & obiectiuè*: formaliter est nominis impositio, & (si vis) est etiam conceptus mentis principium impositionis. hæc denominatio pendet in veritate ab obiectiua denominatione, quæ est res significata per formalem, est quæ rebus extrinseca: vt homini est extrinsecum *hominem appellari*, & cognosci ita appellandum. Denominatio obiectiua est forma, aut res, ad quam significandam nomen imponitur. quæ propterea *obiectiua* dicitur: quia est obiectum denominatum: est quæ interdum extrinseca, vt esse *musicum, album, aut hominem*. Vtramque significat Ioan. *Vt filij Dei nominemur, & simus*. Obiectiuam frequenter significamus, quoties agimus de denominationibus.

§. 110. Hinc in mysterio Incarnationis impositio nominis parum refert, vt in scientijs: Logicam enim dici rationatiuam, à discursu quem dirigit, non obest quin etiam dici posset iudicatiua, à iudicio quod etiam dirigit. Theologiam ita dici à Deo, non obest quo minùs verè sit etiam scientia de peccatis, & talis posset appellari. Videamus, an res aliqua talis sit reipsa, & in se, qualis aliqua voce significatur: nec enim dubium quin talis denominatio in eam possit quadrare: si ergo tota Trinitas est realiter vnita humanitati, & est realiter incarnata, poterit Incarnationis voce significari. Videamus ergo an sequatur realiter Incarnatio Trinitatis?

§. 111. Sequi eam Incarnationem probo: quia Durandus constituens vnionem per se primò ad naturam, & secundariò ad hypostasim; non impugnetur ab ijs auctoribus, quòd ex eius opinione sequeretur, Verbum non esse incarnatum realiter: ergo ex vnione primaria ad hypostasim, & secundaria ad existentiam non sequitur Trinitatem non esse incarnatam: quia eadem prioritas quam ij constituunt in vnione ad hypostasim, & posterioritas ad existentiam, constituitur à Durando ordine inuerso primariò ad naturam, secundariò ad personam: ergo vt ille ordo non obest quo minùs persona Verbi sit priuatiuè incarnata; non obest quo minùs existentia Dei sit incarnata, & tota Trinitas ratione illius: cur ergo ipsos iuuabit ratio, quæ in sententia Durandi non habet vim, cum sit vtrobique similis omnino?

§. 112. Ratio autem est: quia in sententia Durandi vnio illa secundaria attingit verè & immediatè hypostasim in se, & non remotè tantùm, & denominatiuè: ob quod verè & immediatè est terminus eius vnionis: sed in hac etiam opinione vnio secundaria attingit immediatè in se existentiam communem: hæc ergo est verè & immediatè

terminus vnionis: ergo natura diuina est tam immediatè vnita humanitati ratione existentie, quàm ratione hypostasis: ergo tota Trinitas est incarnata.

§. 113. Terminos secundarios esse verè & propriè aut productos, aut vnitos, quando attinguntur in se ipsis, probo: Primùm exemplo scientiarum, quæ verè & propriè cognoscunt obiecta secundaria. fides enim non solum attingit auctoritatem & reuelationem Dei, quæ sunt obiectum formale & primarium; sed etiam mysteria reuelata, quæ sunt materia proximum & secundarium. Conclusio attingitur absolutè verè & propriè; quamuis præmissæ sunt obiectum primarium. Medium amatur secundariò, finis autem primariò: & tamen medium verè & propriè amatur electione, non minùs quàm intentione finis, id quæ siue vno, siue pluribus actibus attingantur obiectum formale, & materiale.

§. 114. Secundò, probatur in actionibus ipsis: hominis generatione attingitur vnio immediatè vt terminus formalis productus vt *quo;* animus autem attingitur vnione vt terminus formalis communicatus; secundariò verò attinguntur accidentia hominis propria: quorum productio est secundaria comparata generationi, item materia prima attingitur per se primò creatione; lapis generatione: quantitas autem materiæ, & lapidis grauitas secundariò: *quis enim dat formam, dat consequentia ad formam*. at quis neget hæc accidentia verè & propriè & in se produci, item & vniri? Materia enim non solum est vnita formæ rationali, lapidis, & alijs; sed etiam quantitati, grauitati, alijsque accidentibus: ergo existentia est verè & propriè vnita humanitati; quamuis secundariò: ergo quamuis secundarius, est verè & propriè terminus Incarnationis: ergo existentia non est minùs incarnata, quàm subsistentia: ergo omnè, quod per illam existit, est incarnatum: sicut persona, quæ subsistit per subsistentiam, quia quod est prædicatum ad intra & extra conueniens existentie; & non seruit ad aliud (vt explicui) conuenit omni existenti per illam. vt patet exemplo omnipotentie. Quæ sunt aperte demonstrationes, quas deludere conantur ij auctores vocum & terminorum geminatione & implicatione: ipsi enim admittunt veram vnionem, & negant denominationem ab vnione.

§. 115. Dicunt existentiam Dei non vniri immediatè humanitati, sed remotè & mediatè: quia vnio immediatè est ad hypostasim; mediatè autem ad existentiam. Contrà: Mediatè potest accipi dupliciter: ita vt vnio sistat in solo medio, nec vterius illa aut alia ex illa deriuata transeat ad terminum remotum: vt visio terminatur mediatè ad corpus; immediatè verò ad colorem, & lucem. & in sententia Catholica vnio hypostatica terminatur immediatè ad hypostasim; ad naturam verò mediatè: quia nulla vnione attingitur natura in se. in quo sensu admitto vnionem mediatam ad existentiam.

§. 116. At existentia increata per hanc vnionem non potest reddere formaliter humanitatem subsistentem: quia verè & propriè non est vnita, vt est existentia, sed vt est subsistentia. Primùm exemplo corporis, quod verè & propriè non videtur; quia tantùm videtur remotè. Secundò, exemplo naturæ, quæ vt virtualiter ab hypostasi distincta, nec vnitur, nec incarnatur, sed remotè & denomina-

tine

tiue ab hypostasi, cum qua est idem realiter. Tertio, quia etiam humanitas eo modo vnitur intellectui, voluntati, & immensitati; per quæ nec intelligit, nec amat, nec est in loco, nec durat formaliter; subsistit autem formaliter per hypostasim: quia illi vnitur immediatè formaliter: ergo nec existit per existentiam increatam: quia terminus, tempus non præbet eos quasi effectus formales.

§. 117. Si verò mediatè non excludat existentiam attingi in se proximè; est eadem solutio propo- sita §. 108. verbis alijs: quæ enim ibi dicitur pri- mariò, hinc dicitur immediatè; & hinc mediatè, quæ ibi secundariò.

§. 118. Responderi potest rationi factæ §. 116. existentiam Dei attingi mediatè, dum vnione at- tingitur hypostasis: attinguntur etiam alia prædi- cata Dei absoluta: nec tamen humanitas est in lo- co, aut durat, aut cognoscit, aut appetit immensitate, æternitate, intellectu & voluntate diuinis; exi- stit tamen per existentiam Dei: quia hæc est primus conceptus, & quidditas Dei; ceteri verò sunt po- steriores ratione. per se primò vnio fit ad existen- tiam; ad cetera verò secundariò per existen- tiam.

§. 119. Ita respondet Cabrera in quest. 17. a. 2. disp. 1. num. 100. asserens existentiam esse primam actualitatem, præcipuam & maximam omnium actualitatum; num. autem 102. ait existentiam esse ipsam Dei quidditatem; num. autem 103. ait existen- tiam esse ratione distinctam ab essentia Dei. Hæc produco, non quòd intersint multum; sed vt auctores bene calleantur. Sæpe sæpius ostendi ab hoc auctore censerì, vnionem hypostaticam priùs & immediatius terminari ad hypostasim, quàm ad existentiam Dei: quia priùs est subsistere, quàm existi- stere: & quia existentia est vltima actualitas, cuius susceptiuum est suppositum. Hac ratione aliqui Thomistæ negant Trinitatem incarnari: quia vnio ad existentiam est secundaria. item existentiam non posse actuari subsistentia, sed è contrà subsistentiam existentia: quia hæc est vltima actualitas, quæ alia actuari non potest. vt patet à §. 44. Nunc idemmet auctor asserit, existentiam esse primam omnium actualitatum: & qui, vt responderet Con- cilio Chalcedonensi de assumptione omnium complementorum humanitatis, dixit existentiam non esse complementum naturæ, sed quamdã conditionem, vt vidimus §. 91. 92. & 93. nunc ad- struit existentiam primam, maximam, & præci- puam inter omnes actualitates. Nec magis est con- stans ijs in locis hoc §. adductis: quia n. 102. asserit

existentiam esse ipsam Dei quidditatem: n. autem §. Thom. 103. ait eam esse condistinctam ab essentia. Quasi §. 3. a. 3. verò quidditas non sit essentia, & essentia quidditas: quæstioni enim, *quid est?* respondemus per es- sentiam & quidditatem: est ergo existentia essentia Dei etiam ratione: quia est quidditas Dei: quidditas autem & essentia sunt synonyma.

§. 120. Ad obiecta §. 118. nihil curo de illo or- dine prioritatis, sed inquirò, vt vtrum præter hypo- stasim vnio attingit existentiam in se, ita vt sint ratio- nis nostra duo termini vniti in se: alter prima- rius, qui est hypostasis; alter secundarius, qui est exi- stentia: Si hoc admittatur, redditur discrimen, cur humanitas existat per existentiam Dei, & non sit in loco per immensitatem: at non fugiuntur absurda de vnione ad id quod commune est, de assump- tione omnium humanorum præter peccatum, & subsistentiam; de incarnatione totius Trini- tatis.

§. 121. Si verò non admittitur vnio ad aliquid absolutum; ita vt in se non sit vnium, sed tantum remotè & denominatiue ab vnione ad hyposta- sim; quæ non est prætergressa ad absoluta, nec ex illa sequitur alia ad aliquid absolutum, vt visò co- lore non videtur in se corpus: vitantur absurda, quorum memini §. 120. at non redditur discrimen, cur humanitas careat propria existentia magis quàm propria duratione, vbiacatione, intelle- ctione. Quia licet existentia sit prima actualitas; adhuc attingitur remotè: cur ergo terminus semel remotus reddat humanitatem existentem; magis quàm alius terminus magis remotus reddat im- mensam? quia carentia attingendi immediatè vni- onem est ratio, cur non communicetur effectus formalis: sed in hæc carentia conuenit existentia cum alijs prædicatis: ergo existentia non reddit eum effectum formalem. Maior patet in ipsa na- tura diuina: quæ est ratione prior omni alio præ- dicato diuino, quæ non facit vnã naturam cum humanitate; nec hæc est intellectiua proximi- mè, nec intelligens per illam: quamuis essentia Dei consistat in gradu intellectiui proximo, aut intellectiue actuali. Ratio à priori: quia vnio remota non est absolutè & propriè vnio ad ter- minum remotum, sed tantum denominatiue à termino proximo.

§. 122. Mitto ex hac sententia vnionem factam ad naturam formaliter: quæ nec ratione distinguitur à sua existentia, hæc enim quæstio est magis philosophica. De hac autem re aliqua disserui disp. 16. sect. 1.